

05

A

2347







DISPUTATIO PHYSICO-MATHEMATICA

De

VENTIS INSOLENTIBUS

& inprimis eo, qui circa proximè præteritum IX. Decemb. totam fermè EUROPAM perflasse creditur.

CUM APPENDICE

DE RECENTI COMETA.

Quam

SUB PRÆSIDIO

VIRI

AMPLISSIMI Atq; EXCELLENTISSIMI

DN. CHRISTOPHORI NOTTNAGE-

LII, Superior, Mathemat. Prof Publ. longè celeberrimi.

*Patroni, Præceptoris ac Hospitis sui filiali*

*honoris atq; amoris cultu jugiter prosequendi*

*Publico Physices Matheseosq; Cultorum examini*  
*subjicit*

BERNHARDUS MITTENDORFFIUS

LÜBECENSIS.

*Ad diem 20. Februar. horis matutinis.*

IN AUDITORIO MAJORI.



WITTEBERGÆ, Ex Ergasterio HENCKELIANO

A. E. R. c15 15 c LXI.



05 A 2347





QVOD BENE EVENIRE JUBEAT IMMEN-  
SÆ BONITATIS DEUS.

*Anteloquium.*

**N**on unum impressionum me-  
teoricarum genus occurrit.  
Nunc usitatô, nunc inusitatô  
se ostentant modô. Non illius  
tantùm quotidiè, sed hujus  
quoque & olim & nunc plures visæ sunt spe-  
cies. Totô currentis hyemis tempore nulla  
præterit septimana, nullus fermè dies, specta-  
cula talia quin nostros terruerint animos. In-  
solentes Venti non nostram tantùm Germa-  
niam, sed totam fermè Europam quassarunt  
hactenus & afflixerunt miserè. Insecutæ sunt  
Inundationes, quæ agris pariter & satis, ac  
tot hominum etiam vitæ & habitaculis mul-  
ta eaque gravia intulerunt damna. Nec satis  
fuit in aère variorum hactenus Meteororum  
ignitorum vidisse phases & de aliis audiisse  
prodigiis, nunc de Cometæ quoque referunt



exortu: Qui etsi in nostro Horizonte ob aërem  
obscurum perpetuoq; nubilum vix apparuit  
uni, ab eruditis tamen & fide dignis viris ma-  
nè ante ortum Solis observatus aliis in locis  
dicitur. Unde primùm quidem, cùm de exor-  
tu ejus audivimus, nō ex cometarū sobole sed  
nudū meteorum fuisse conjecimus; præsertim  
quòd eundem antè evanuisse animadverti-  
mus, quàm, cœlò factò serenò, observari à no-  
bis legitimè potuit. Cumque prætereà haud in-  
gnotum fuerit, nō solùm inter veteres ab *Ari-  
stotele, Seneca & Plinio lib. 2. c. 25. Hist. Nat. Co-  
metarum* multas recenseri species, quarum  
nonnullas inter meteora referendas esse con-  
stat; sed inter recentiores quoq; inveniri haud  
paucos, qui cometarum quosdam statuunt  
Sublunares seu Elementares: in qua opinione  
inter alios etiam fuit *Mæstlinus, Gemma Frisius,  
Ræslinus, Scultetus, Hagecius, Keplerus, Fromon-  
dus, Rothmannus &c.* Ideò tantò minus de sen-  
tentia nostræ veritate dubitavimus, ac præci-  
puè quidem quòd *Φαινόμενον* hoc non nisi manè  
ante Solis ortum observatum semper & ubi-  
que fuerit, eò scilicet tempore & locò, quò va-  
pores terræ copiosiores esse solent, & aër varia-  
rum exhalationum undiq; plenus extitit. Ve-  
rùm



rùm relationes posteriores, quæ de cometa hoc ad nos aliundè venērunt, argumento nobis sunt satis certo, ut de veritate ejus amplius haud dubitemus, eam potissimum ob causam, quòd non in uno vel altero tantùm, sed in diversis iisq; tam longè distitis locis cum cauda visus observatusq; fuerit. Nihil verò optandum magis, quàm ut aëris constitutio apparitionem ejus nostro quoque concessisset visui, ut de ejus motu, loco, splendore, figura & duratione constare nobis exactiùs queat. Quicquid autem sit, de nihilo habendus non est, sed inter illa potiùs referendus cæli *Φαινόμενα*, quæ futuri mali signa esse solent, juxta illud Claudiani:

— *Nunquam cælo spectatum impune cometam*

Tantòque magis, si & cætera conferantur prodigia, omniumque simul debita habeatur ratio, Sint mitia Fatal! Avertat DEUS omnia mala! Nobis in præsens non de his omnibus, sed de unico tantùm meteoro aëreo, inusitatis scilicet Ventis, & illo potissimum, qui circa IX Decemb, præteriti anni in nostris ditionibus insolitò prorsus modò sæviit, sequentib; The-sibus discursum instituere animus est. Cui in



fine coronidis loco annectitur *Judicium de recenti Cometa*. Faxit Mundi Rector & Structor, ut haud improspere cedat!

## THESIS I.



Eventis insolentibus & prodigiis acturi, ante omnia in ipsum venti cursum naturalem inquirendum esse ducimus, ut insolitorum conditio eò evidentius inde constare possit. Hinc 1. de ventorum natura eorumque causis in genere. 2. de inconsuetorum conditione peculiari. 3. De eorundem effectu & significatione ordine dicendum.

## Thesis II.

De natura Ventorum non una omnium est sententia, Sicut enim materia hæc intricata est, ita de eadem varii variè senserunt. *Aristoteles l. 2. c. 4. Meteor.* & qui hunc sequuntur, dicunt *Ventum esse meteorum mixtum, constans exhalatione calidâ & siccâ, virtute solis aliorumque corporum celestium, in mediam usque æris regionem eductâ, indeque rursus frigore repulsâ, & per occursum aliarum exhalationum ex terra ascendentium, lateraliter motâ agitâque, ut ær inde alteretur & non corrumpatur.*

## Thesis III.

Etsi animus nobis non est hanc Peripateticorum definitionem prolixius examinare cumque iis litigare multum: Falsum tamen esse arbitramur, ventos omnes ex calidâ & siccâ constare exhalatione. Hoc enim si esset, venti omnes in se sicci tantum existerent & calidi, cui tamen experientia reclamât manifestè, cum frigidi admodum humidique;

ven-



venti haud rarò sentiantur. Quomodo autem frigidi & hu-  
midi esse possint, si ex materiâ tantum constarent calidâ &  
siccâ, non videmus. Nec alicujus ponderis habentur rationes  
quas afferunt. Quod enim 1. cœli rubedinem attinet, quæ  
ventorum signum sit, & aëris caliditatem annunciet, frustra  
eam nonnulli adducunt, cum sæpissimè spirent venti, ubi  
nulla præit cœli rubedo. Et nondum probatum est illam cœ-  
li rubedinem quæ ventos annunciat, calidioris aëris signum  
esse, cum sæpius contingat contrarium. 2. Ejusdem roboris  
& illud est, quod dicunt in vere & autumno ventos esse fre-  
quentiores, eò scilicet tempore, quò tales exhalationes, in-  
tellige calidas & siccas, ex terrâ esurgere copiosius soleant.  
Sicut enim non tantum in vere & autumno, sed æstatis quo-  
que & hyemis tempore vehementissimè sæviunt venti; ita  
falsum est exhalationes calidas & siccas veris & autumnii  
tempore ex terra esurgere copiosiores, cum id potius, si ad  
rem faciat, de æstate asserendum sit. Sic 3. nullius momenti  
est, cum sententiam suam probare exinde conantur, quod  
venti ab ortu solis flare sæpius incipiant, cum sol oriens ad se  
trahat vapores, ex humiditate & frigiditate noctis causatos.  
Dubium enim adhuc est, an plures venti circa ortum, an ve-  
rò plures circa occasum solis orientur, cum utrumque con-  
tingat. Et si exhalationes illæ à sole demum oriente suam ac-  
ciperent caliditatem & siccitatem, utique non possent omni-  
um ventorum principium esse, cum non rarò venti etiam  
spirare incipiant, sole prorsus absente, uti modò diximus &  
experientia testatur.

#### Thefis IV.

Hinc cum Beat. Sperlingio nobis hæc placet definitio:  
*Ventus est meteorum spirituosum ex effluvio flatuoso vi &  
virtute astrorum è terris & aquis educò ortum, quod ascen-  
dere laborans reprimitur, & in obliquum retorquetur, cum  
quæ impetu per aërem ruit.*

Thef. V



## Thes. V.

Definitio hæc, uti proximò suò constat genere & differentiâ specificâ, ita venti naturam satis perspicuè exponit. Genus est, meteorum spirituosum. Ventum meteorum esse vel exinde liquet, quòd se maximè exerit in aère, non quidem ut corpus, sed ut minimorum corporum seu effluviòrum peculiaris dispositio & forma accidentalis: Id quod apparet, si animadvertimus, eundem suis, ex quibus oritur, effluviis non novam substantiam, sed respectu cæterorum meteororum aliam saltem & peculiarem formam ac dispositionem superaddere. Meteorum verò hoc spirituosum esse cæterisque, quæ vel ignita vel aquea sunt, contradistinctum, probatione non indiget, sed in aprico est. Satis enim id ostendit impetus & vehementia, quâ per aërem ruit. Differentiæ munere funguntur reliqua definitionis verba, quæ ut rectius intelligantur, de ipsis Ventorum causis, *materia formâ, efficiente, & sine*, à quibus nempe differentia petita est, ordine dicendum.

## Thesis VI.

Materiam Ventorum non esse exhalationem calidam & siccam ex *Thesi 3.* constat; videantque Peripatetici, quâ fieri possit, ut materia sit calida & sicca, materiatum verò frigidum & humidum. Nos dicimus ventis materiam suppeditare effluvia flatuosa è terris & aquis educta: quæ quidem etsi à terræ & aquæ naturâ non aliena sunt; cum atomis tamen, quæ in illis locis, in quibus oriuntur, vel per quæ transeunt, necessariò simul conjunguntur. Quare Septentrionales venti frigidiores sunt, ut qui per loca nivosa perflant: Contrà verò Meridionales calidiores, qui per loca calida transeunt. Hinc illi etiam salubriores, hi minus salubres creduntur.

## Thes. VII.



## Thesis VII.

Formam Ventorum quod attinet, aliam quidem ipsis tribuere non possumus, quam quæ effluviis, ex quibus generantur, competit; cum eorundem, sicut ex Th. 5. adduximus, saltem affectio & accidentalis dispositio, adeoque ipsa forma sit, quam retorsio illa in obliquum & vehementissimus per aërem impetus abundè satis testatur. Formam verò effluviolorum spirituosorum internam exactè determinare, uti in rebus naturalibus aliis difficilimum, ita hic quoque impossibile prorsus est. Non dubitamus tamen eam ipsam esse, quæ ventis tantam vim & efficaciam suppeditat. Hoc scilicet est, quod audimus quidem ventorum murmura, sed distinctam perfectamq; eorum cognitionem nemo hominum sibi promittere debet.

## Thesis VIII.

Causa efficiens est vel universalis seu prima, vel particularis seu secunda. Illa porrò est vel simpliciter vel respectivè talis.

## Thesis IX.

Causa universalis seu prima simpliciter talis est solus DEUS gloriosus, quippe à quo tota dependet natura. Hic causa causarum & principium principiorum est. Ab hoc unico ortum ducunt omnia, prima, media, ultima. Hic montes formavit & creavit ventum. *Amos. 4. v. 13.* Ventos de thesauris suis producit. *Pf. 135. v. 7.* eosque ad vindictam movet. *Eccles. 40. v. 33.*

## Thesis X.

Universalis respectivè talis, quæ respectu DEI particularis dicenda, sunt astra, quæ h. l. excludi nullatenus

B

de-



debent, quippe quorum vis & efficacia manifestè hic deprehenditur. Quam enim causam possemus dare aliam, quæ materiam in terris & aquis latentem certis temporibus excitet, moveatque ut spirituosæ & fluosæ ex se spargat edatque effluvia? Cùm enim id non semper fiat, mutationem & vicissitudinem illam non propriæ effluviolorum vel materiæ præexistentis naturæ internæ, nec alii causæ extrinsecæ quæ perpetuò mobilis esset, nisi solis stellis ascribendam esse manifestum est. Hinc causæ illæ pro varietate corporum aliorumque punctorum cœlestium sunt variæ & multiplices: Quarum tamen principales sunt *partim Planeta, partim signa Zodiaci, partim stelle Fixæ.*

### Thesis XI.

Planetæ vicissim considerandi sunt 1. in se & ratione suæ naturæ. 2. ratione sitûs in themate cœli 3. ratione latitudinis seu distantiæ ab Eclipticâ.

### Thesis XII.

7  
2  
8  
Ex Planetis in se consideratis juxta Ptolemæi sententiam Saturnus ventos movet Orientales, Mars Occidentales, Jupiter Septentrionales, Venus Meridionales, Mercurius indifferens est, omnesque hos adjuvat, ut quivim habet generalem quoscunque movendi ventos, veluti Ventorum pater & primarius autor. Sic Sol quoque & Luna non certos & peculiâres, sed diversos ac varios excitant ventos pro signi situsque diversitate, teste Cardan. in com. quadr. Ptolem. l. 2. text. 6.

### Thesis XIII.

Ut autem Planetarum cognoscatur situs, ratione ejus peculiaris ipsis tribuitur virtus, diversa erigenda sunt themata cœli, ex quibus tum generale, tum speciale sumitur



mitur iudicium. Pro iudicio generali erigitur 1. Thema  
cœli ad tempus ingressûs Solis in principium Arietis seu  
punctum Æquinoctii verni, in quo anni reponitur initium,  
quod revolutio anni seu revolutionis thema vocatur; item-  
que ad tempus novilunii vel plenilunii Æquinoctium proxi-  
mè antecedentis & ad tempus novilunii vel plenilunii proxi-  
mè sequentis: Ubi novilunia quidem & plenilunia, quæ E-  
cliptica sunt, efficaciora æstimantur. Ex quibus tribus thema-  
tibus inter se collatis eligitur is, qui in locò Ascendentis seu  
Horoscopi, Medii cœli, Solis, & Lunæ per themata omnia  
fortissimus optimeque affectus est. 2. Ad eundem modum  
proceditur etiam pro æstate, erigitur nempe thema ad tem-  
pus ingressus Solis in principium Cancræ, veluti punctum Sol-  
stitii æstivi, itemq; ad tempus conjunctionis vel oppositionis  
Solstitiû illud proximè antecedentis & cõjunctionis vel oppo-  
sitionis proximè sequentis; examinatisq; iterum planetis in  
loco Ascendentis, Medii cœli, Solis & Lunæ, observatur il-  
le qui per omnia tria themata fortissimus optimèque consti-  
tutus deprehenditur. 3. Similis processus instituitur quo-  
que pro ingressu Solis in principium Libræ seu æquinoctium  
Autumnale. Itemque 4. pro ejusdem ingressu in principium  
Capricorni seu Solstitium hyemale. Inventis hac ratione pla-  
netis fortioribus pro singulis ac universis anni quartis, inter  
se invicem porrò mutua instituitur collatio, juxtaq; nume-  
rum testimoniorum fortitudinis eligitur ex his quatuor for-  
tissimus & qui simul in feliciori cœli loco collocatur, non im-  
peditus motu vel radiis solaribus, præcipuè veris tempore;  
qui pro significatore generali anni que domino habetur, ejus-  
que particeps qui huic dignitatum numerò proximus est.  
Ad hos duos, præcipuè verò ad anni dominum in iudicio po-  
steà respicitur tum de ventis, tum de tempestatibus aliis, to-  
tiusque anni qualitate. Mercurius anni dominus qualita-  
tem aëris variat & corrumpit ventos maxime in humidis &  
ventosis signis *Pitat. pag. 34. ex Lenpold. c. 1. tract. 6. & Albumaf.*  
*c. 5. l. 4. Cardanus quoq; l. 7. Aphor. 69. inquit: Mercurium fa-*  
*cere ventos exitiales. Nec dissentit Hali c. 26. p. 8. ubi dicit:*



Mercurium in aëre facere diversitatem & multos graves ac  
damnabiles ventos. Ubi tamen simul cujusque quartæ domi-  
nus peculiariter observatur, cujus electio ex iis quæ jam di-  
cta sunt constare facile potest.

### Theſis XIV.

Quod judicium attinet speciale, juxta Ptolemæi  
sententiam communiter ad tempus cujusque novilunii  
seu conjunctionis Solis & Lunæ erigitur thema cœli, confide-  
raturque conjunctionis dominus, h. e. planeta qui tum in lo-  
cò Solis & Lunæ tum in locò Ascendentis & Medii cœli for-  
tissimus est plurimasque dignitates habet. Hic enim pluri-  
mum valet ad aëris constitutionem per lunationem inte-  
gram cui præest, præsertim si in cardinibus fuerit & lumina-  
ria respexerit, teste Cardano 2. aph. 166. Verùm quamvis hæc  
ita se habeant, & ad novilunii dominum semper habendus  
respectus meritò sit, illud tamen sufficere haud videtur. Quo-  
tidiana enim experientia docet, lunationes integras raro  
easdem afferre tempestates, sed ut plurimum pro ratione  
quartarum variare. Hinc non noviluniorum tantum, sed  
pleniluniorum etiam ipsarumque quartarum simul ha-  
benda semper est ratio eorundemque significatores ac do-  
mini non minus considerandi sunt. Quare pro exactiore  
ventorum aliarumque tempestatum examine porro obser-  
vandi sunt. 1. Domini Syzygiæ ejusque signi, & signi quod  
Luna tenet, qualitates. 2. Situs Domini in themate ejusque  
ut & Lunæ latitudo. 3. Planetarum aspectus tum inter se tum  
ad dominum thematis, itemque Lunæ ad Planetas. Quan-  
do enim Luna venerit ad aspectus domini Thematis aut alio-  
rum Planetarum in angulis positorum, tempestates se maxi-  
mè exerent, quas Planetæ indicant. 4. Ortus & Occasus ut  
& Mediationes Fixarum singulis diebus coincidentes.  
5. Transitus Planetarum ac præcipuè Lunæ, Veneris, Martis  
& Mercurii per fixas tempestuosas, ut Hyades, Plejades, A-  
fello &c.

The.



## Thesis XV.

Quemadmodum autem ratione situs Planetæ multum roboris vel debilitatis accipiunt, ita Latitudinis qualitas ob hanc potissimum causam observari solet, ut ventorum ratio quædam inde constare possit, ex qua nempe plaga mundi suum ducturi sint ortum. Cum enim experientia compertum sit, ventos plerumque ab ea moveri mundi plagâ, ad quam significantores vel eorundem primarius latitudine suâ spectat; ideo Astrologi ventorum originem habitudinemque exinde conjicere solent.

## Thesis XVI.

Signorum natura innotescit partim ex Trigonis, partim ex Asterismis, quos stellæ faciunt Fixæ. Signa Trigoni aërei in genere,  $\Pi$   $\triangle$  &  $\text{♊}$ , ventorum frequentiam denotant: In specie verò Trigoni ignei signa,  $\text{V}$   $\Omega$  &  $\text{♋}$  ventos movent Borrholybicos inter Septentrionem & Occidentem, sicuti  $\text{z}$  &  $\text{g}$  conjuncti in  $\Omega$  cum Latitudine Septentrionali ventos faciunt vehementes Septentrionales paululum ad Circium versus Occasum inclinantes, id quod notat *Card. in Comm. text. 62. l. 2. Quadrip. Ptolem.* Signa Trigoni Terrei,  $\text{g}$   $\text{m}$  &  $\text{♌}$ , ventos movent Notapelioticos inter Ortum & Meridiem. Signa Trigoni aërei Ventos Borrhopelioticos inter Orientem & Septentrionem. Signa denique Trigoni aquei,  $\text{♍}$   $\text{m}$  &  $\text{X}$ , ventos Notolybicos inter Occidentem & Meridiem. Faciunt etiam quædam signa peculiare ventos ratione Solis. Sic Sol in  $\text{X}$  plerumque excitat ventos Occidentales, in  $\text{V}$  Septentrionales, in  $\text{g}$  Orientales & in  $\Pi$  Australes, *Cardanus l. 7. Aphorism. 79.* Quæ tamen non separatim sed cum cæteris conjunctim intelligenda sunt, & Planetis semper plus quam signis tribuendum.

## Thesis XVII.

In Asterismis peculiare dantur observationes. Sic



observatum esse dicunt, ventos moveri plerumque à 28 gr. usque ad 4 gr. & ob Stellas ibidem Martiales, Saturninas & Mercuriales, itemque à 17 gr. usque ad 27 gr. & propter Plejades, & à parte Boreali  $\Pi$ ,  $\text{III}$ ,  $\text{II}$ ,  $\text{I}$  &  $\text{X}$  ob stellas quasdam Mercuriales & Saturninas, ut & ab ultimis gradibus propter stellas ibidem Mercuriales & Martiales.

### Thesis XII.

Stellæ fixæ denique pro ciendis ventis multum quoque virtutis & efficaciam habent, quarum quidem natura ex Planetarum cognatione sumitur. Saturninæ enim Ventos magis Orientales, Joviales Septentrionales, Martiales vero Occidentales & Venereæ Australes vulgò movere dicuntur. Sic Plejades & Hyades, quæ de natura Martis sunt ventos ab occidente ciere vult *Origanus Tom. 1. Ephemer. part. 3. c. 5.* *Aristoteli* Canis oriens dicitur movere ventos Septentrionales, Orion Meridionales *l. 2. Meteor. c. 5.* Huc pertinent & ea, quæ *Thesi antecedente de Asterismis Zodiaci* diximus.

### Thesis XIII.

Tantum de ventorum Causa efficiente prima seu universalis. Secunda seu particularis in ipsa latet effluviolorum spirituosorum natura, cujus vis major est, quam quæ à nobis cogitari potest. Ab hac ventus proximè dependet, estque illa effluviolorum contrarietas, quæ ventum in aère huc illucque ruere terrasque perflare facit.

### Thesis XIV.

Finis ventorum est vel primarius vel secundarius.

### Thesis XV.

Finis primarius est viventium salus & conservatio.  
Cum



Cum enim negari à nemine possit, à ventis pendere aëris tempestates, quibus natura carere non potest; ideò ventos ad salutem & conservationem viventium excitari nemo non videt. Est enim proprium ejus i. ventilatione sua repurgare aërem, & movere aquas, ne quid inibi putrescat, id quod venti potissimum à Septentrione & Oriente ceu omnium saluberrimi præstant. 2. Pluvias & serenitatem excitare ut satorum, arborumque fructus alantur omniaque crescentia pervenire ad maturitatem queant.

### Theſis XXII.

Secundarii fines multiplices sunt. Sic Deus veluti omnis bonitatis fons & origo ventos non tantum in terris ad versandas molas variumque hominis usum alium, sed potissimum etiam in mari ad peragendas navigationes moveri voluit.

### Theſis XXIII.

Est autem adhuc alius ventorum finis planè peculiaris & extraordinarius, qui ex sola Scriptura cognoscitur. Hæc enim manifestè testatur, ventos quandoque ad DEI vindictam creati, quando videlicet DEUS tanquam gravissimus improbitatis vindex scelera hominum per insolitorum ventorum sævitiam ex justo judicio punit, & tales excitari ventos permittit, quales antè aut nunquam aut raro auditi sunt. Cujusmodi fuit & ille, qui per totum Christianum orbem circa IX. Decemb. proximè præteriti anni insolitò prorsus modò spiravit, quem propterea prodigiosum vocare non dubitamus. Sive enim ejus considerentus vehementiam & impetum, sive tractum, quem tantà violentiâ perflavit, sive damnum perniciemque, quam tot terrarum locis attulit, non communem & usitatum, sed singularem planè & ominosum fuisse arbitramur.

The-



## Theſis XXIV

Cùm igitur animus ſit de hoc potiffimùm in præſens agere & in ejus inquirere cauſas; ideò poſtquam hætenus indicavimus, ex quibus cauſis ventus oriri ordinariè ſoleat, examinandus nunc quoque hic prodigioſus eſt, videntumque nùm ſufficientes ejus cauſæ depromi ex naturâ queant, & quid de eò ſentiendum.

## Theſis XXV.

Ubi initium à primis facientes cauſis non opus eſſe ducimus, ut de primo omnium effectuore multa prolixè hic repetamus. Sicut enim neminem latet ſummum rerum Conditorum creaffe non modò primitus & in hunc uſque diem conſervare omnia, ſed etiam nùm nova quandoque producere & inconſueta eaque interdum ſecundum naturæ curſum, interdum verò citra naturæ limites: ita cauſam illam univerſalem tranſire hîc tantò minus poſſumus, quò insolentior hic fuit ventus; quin firmiter potiùs ſtatuímus, ſi meteorum aliquod inſolitum, vel prodigium naturæ aliud divinitati additum fuerit unquam, hunc vehementiſſimum ventum appropriandum eidem præcipuè eſſe. Nec tamen abſurdum eſſe cenſemus, ſi dicimus DEUM hîc non contra naturam egiſſe. Negari enim à nemine poteſt, divinum Numen in naturali non modò & quotidiano rerum curſu mirificè ſuam ubique oſtendere potentiàm, ſed eò ipſo etiam producere nonnunquam quæ obſcura nobis & ob raritatem ac insolentiam ominoſa videntur. Exinde verò non ſequitur, hujusmodi rerum cauſas abſconditas ita eſſe, ut indagandi eas nobis nulla occaſio reliqua ſit. Exempla id probant quàm plurimà inferiùs adducta aliorum quoque meteororum, quorum apparentiam, utut naturalem, calamitoſi tamen eventus ſecuti ſunt. Similis ratio eſt ventorum inſolitorum, qui etſi cauſas habent naturales, propter insolentiam tamen plerunquè ominoſi ſunt & futuram calamitatem annunciant.

The-



## Thesis XXVI.

A primo horum ventorum motore progredimur ad astra seu causas cœlestes. Ubi considerantur 1. Planetæ, qui totius anni, initiantis hyemis seu ultimæ anni quartæ & conjunctionis seu oppositionis proximè antecedentis & sequentis domini sunt aut aliam peculiarem vim habent. 2. Signa in quibus Planetæ versantur & quæ præcipua cœli loca occupant. 3. Stellæ fixæ, quæ vel ortibus & occasibus suis diversos excitant ventos vel cum significatoribus cœteris certò modò conspirant.

## Thesis XXVII.

Erectis igitur thematibus cœli tum ad tempus ingressûs Solis in quatuor puncta cardinalia, nempe principium V, ♄, ♃, & ♁, tum ad tempus conjunctionum & oppositionum præventionalium ac postventionalium invenitur in locis cœli præcipuis, utpote Solis, Lunæ, Ascendentis & Decimæ, omnium fortissimus efficacissimusque Mars, ut qui in dictis locis plurima fortitudinis testimonia obtinet, ejusque collega Jupiter, qui fortitudine huic proximus est, & cœteros Planetas dignitatum numerò haud parùm superat. Ad hos duos itaque Planetas ceu significatores anni generales præcipuè verò ad Martem, ut qui simul Veris dominus existit, in judicio speciali respiciendum ubique est; Cumque alter calidus sit & siccus, alter verò calidus & humidus, eorum ratione annus usque ad primum Martii 1661 ad caliditatem magis & ventos Occidentales inclinabit.

## Thesis XXVIII.

In specie verò pro duabus ultimis hujus anni quartis, autumnali nempe & hyemali, in quibus venti accidere potissimum, seorsim consideranda sunt tria illa themata cœli, quæ ad tempus ingressûs solis in principium Capricorni & ad

C

tem-



temp<sup>o</sup> Syzygiæ præventionalis & postventionalis erecta sunt. His igitur debitò modò inter se collatis, & Planetis omnibus diligenter examinatis, reperitur in loco Solis, Lunæ, Horoscopi & Medii cœli omnium felicissimi fortissimiq; iterum ☿ & ♃, hisque fortitudine proximi ♄ & ♁. Unde rursus colligitur, quòd ☿ caliditate suâ hyemem ita temperaturus sit, ut etsi Saturnus ad ventos Orientales frigusque excitandum per se inclinaret, idque efficere satagat; à Marte tamen & Jove propter debilitatem suam semper vincatur, quos simul omnes Mercurius tanquam ventorum pater summò conatu stimulat eosque ita turbat, ut venti inde moveri possint exitiales *juxta Th. 13*; cumque per totam hyemem perpetua inter eos lucta videatur, continua aëris mutabilitas & inconstantia, maximâ cum ventorum lavitiâ conjicitur; tantòque magis quòd ad hyemis initium Planetæ omnes à se invicem non tantùm separati sejunctique sed in pejorem etiam partem affecti conspiciuntur, parumque affinitatis mutua inter se habent, exceptis ♄ & ♁, qui etsi conjuncti, insensissimi tamen hostes sunt.

## Thesis XXIX.

Positâ hâc planetarum inclinatione & affectione tum generali, tum speciali, porrò notatu dignum & illud præcipuè videtur, quod VIII Dec. horâ primâ post merid. proximè præteriti anni, eò scilicet tempore, quo sequenti nocte ventus apud nos sævire cœpit, Luna & Mercurius in ipsissimo punctò oppositionis fuerit cum utriusq; latitudine Meridionali. Jam verò negari à nemine potest, quod oppositio hæc ex communi omnium Astrologorum sententiâ ventos ciere ut plurimum soleat, tantòque magis hîc quòd ♁ dominus simul sit proximè præcedentis plenilunii. Et quamvis singulis mensibus oppositio illa recurrat, ubi nullus sentitur ventus: sciendum tamen est, quod reliqua planetarum dispositio, de qua *Thesi anteced.* diximus vix unquam vel rarò concurrat; nec singulis mensibus duo illi planetæ in eodem latitudinis

teno-



tenore sibi invicem opponuntur, multò minùs ☿ præcedentis Syzygiæ semper dominus est. Quod verò oppositio hæc cæteros planetas & imprimis Martem communem totius anni & quartæ hyemalis dominum, qui per *Thesin 12.* ventos movet Occidentales, pro excitando vento hoc prodigioso, qui ab Occidente maximam partem spiravit, insigniter adjuverit; vel ex ipso loco & tempore liquet, quo flare cœpit. Quod locum concernit, ventus hic, quantum quidem conjicere ex iis possumus, quæ quotidianâ relatione nobis tradita sunt, omnes regiones & provincias à nobis perflavit usque ad Oceanum Occidentalem. Hinc colligimus, id quod naturæ etiam hujus venti maximè conveniens videtur, ventum istum, qui aquarum pluviarumque copiam omnibus attulit locis, eò ipsò momentò, quò dicta oppositio incidit, ortum suum ex Oceano traxisse Occidentali, ab ea potissimum parte quæ Meridiem versò vergit, propter ☿ & ♃ latitudinè Meridionalem: qui horis postea circiter sex apud nos quoque paulatim oriri cœpit & succedentibus horis magis atque magis crevit, donec tandem ob majorem superiorum Planetarum vim effluviarumque copiam, impetu suò concutere omnia videretur. Hæc autè ita esse ventum nempe non simul & eodem tempore spirasse, relationes testantur eorum, qui ex locis scripserunt Occidentalioribus, ventum hunc ortum sibi esse XIX Decemb. paulò ante occasum Solis; eò scilicet die, quo oppositio ☿ & ♃ horâ 1. post merid. præcisè incidebat. Hinc conjicitur ventum horâ 1. ex Oceano suam traxisse originem.

### Thesis XXX.

Quod si verò thema cæli pro dijudicandâ hyeme adhibitur accuratiùs paulò aspicitur, omnes quidem planetae videntur infra Horizontem, exceptis duobus, Lunâ nempe, quæ in medio cæli fulget, quintò die à plenilunio, lumine diminuta; & Jove, qui supra Horizontem jam surgit, quem antecedit Arcturus & sequitur Spica virginis cum Capite





Draconis. Unde dubium oriri posset : annon talis stellarum positus jucundam potius, tranquillam & serenam portendat hyemem, & tantò magis, quod ♀ particeps quoque sit domini hyemalis. Verùm ex hoc unico positu concludere haud licet, repetenda hìc sunt quæ *Thesi* 28. diximus: ubi ostenditur, planetas alios in contrarium longè fortiores esse & Jovi hac in parte multùm prævalere, Saturnum item & Mercurium suas variè immiscere vires & aërem valdè turbulentum ac impetuosum reddere, præsertim quod ♀ & ♁, itemque ♃ & ♄ ☐ se invicem lædant & mutuam sibi hostilitatem minentur.

### Thefis XXXI.

At porrò oritur dubium, cum Ventus ille, qui 8 Decembris ortus dicitur non in ipsam hyemem, sed in autumnum incidit finem, num ex solo themate ad initium hyemis erectò judicari de eo rectè possit? Ad hoc respondetur, utrumque thema & pro hyeme & pro autumno hac in parte conjungendum esse, ex eo quod ventus in ipsum autumnum & hyemem quasi limitem incidat. Hinc nos non tantùm ad ingressum solis in principium Capricorni seu initium hyemis, verùm etiam ad proximè præcedens plenilunium quod in ultimos dies autumnum incidit, nec non ad tempus ingressus Solis in principium Libræ seu initium autumnum diversa ereximus themata, inque judicio conjunctim adhibuimus. Et quamvis in themate Autumnali ♃, ♀, ☉ & ♁ in potioribus cœli locis potentissimi videantur; quia tamen ♃ in se peregrinus, ♀ verò cum Marte in detrimento & ♁ in casu reperitur: ideo ab autumnum dominio ob insitas illas debilitates jure merito excluduntur, horumq; in locum ♁ & ♄ substituuntur, quorum ille quidem in domo propriâ & exaltatione; hæc verò in exaltatione & triplicitate deprehenditur. Ex quibus colligitur, initium autumnum propter superiorum Planetarum conatum fore quidem serenum ac tranquillum, finem verò vehementissimis ventis plenum. Quæ quidem Mercurii & Lu-



næ efficacia se maximè exerit, eo tempore, quò sibi invicem opponuntur. Cùm verò oppositio illa circa finem autumnii nempe VIII. Dec. proximè præteriti anni evenerit, evidenter etiam satis patescit ex themate Autumnali, quibus ex causis tam insolentes venti illo potissimum tempore orti fuerint.

### Thefis XXXII.

Tantum judicii sumitur ex Planetis. Sequuntur nunc Signa Zodaici, ratione quorum planetæ haud parùm affici solent. Observantur autem hoc in loco potissimum ea, quæ occupant 1. luminaria, in primis verò ♃, 2. ♄ 3. Dominus Syzygiæ. 4. Dominus thematis. Nostri igitur cæli thematibus diligenter examinatis, reperitur ♄ in themate ad tempus ingressus Solis in principium Capricorni erectò, Sextili Saturni affectus ex signo aqueo, nempe ♋ ejusq; naturam induit. Sic Luna in themate ad tempus oppositionis præventionalis erectò, quam 5 diebus post ventorum impetus secutus est, extitit in ♌ signò aëreò: In themate verò ad tempus novilunii constructò fuit in ♍ cujus dispositio, ipsiusque thematis Dominus est ♄, qui reperitur in ♌ signò iterum aëreò. Præterquam etiam ♃ tempore conjunctionis cum ♄, fuit in ♋ signò aqueò. Ex quibus omnibus à parte signorum quoque testimonia haud obscura apparent, quæ planetarum significationem pro excitando vento certificant magis eisque multum roboris addunt. Illud verò de signis observandum præcipuè est, quod Cancris signum in quo ♃ tempore conjunctionis cum ♄ versabatur, ipso scilicet die 8 Decemb. in specie significare ventos Notolybicos, inter Occidentem nempe & Meridiem, cujus generis & ille prodigiosus fuit, de quo nos hic agimus:

### Thefis XXXIII.

A signis Zodiaci devenimus tandem ad Asterismos seu Stellæ Fixas, quæ ventorum significatores mirum in modum



afficiunt, eosq; pro excitandis ventis insigniter adjuvant, sicuti tempore Aprilis, singulis videtur annis ex Plejadibus, ut quæ Solem sibi conjunctum pro natura sua variabili ita depravant, ut aër inconstans & turbulentus ubique sentiatur. Sic in nostro themate plenilunii quod ventorum turbines paulò antecessit, Castor & Pollux cum Procyone seu Cane minore, & in themate initantis hyemis Spica  $\mu$ , Orientis fermè lineam strinxerunt: In utroque verò themate Lyra & Cygnus  $\zeta$  &  $\odot$  se associarunt, suasque ipsis largiter communicarunt vires. Quemadmodum autem Asterismorum illorum stellæ de natura  $\text{H}$ ,  $\text{O}$  &  $\text{P}$  esse communiter habentur, ita non parum eas ad excitandam hanc ventorum insolentiam fecisse probabiliter concluditur.

### Thesis XXXIV.

Ex quibus apparet, ventum istum tantò æstimandum esse majorem, quò plura in cælo offeruntur signa, quæ eundem testantur: Cumque illa non ex planetarum tantum positu, sed ex Signorum quoque Zodiaci Fixarumque natura & habitudine satis hæcenus, uti speramus, probata adductaq; sint; dubitare amplius nemo habet, totam eò cæli inclinare naturam, quæ per integram hyemem ventos cum conjunctis iisque continuis fermè pluviis producere apta sit.

### Thesis XXXV.

Tantum de constitutione cæli, ex qua causas venti hujus insoliti indicavimus universales. Quæ etiam has quoque præsupponunt causas particulares & proximas, è quibus ventus ille promanavit immediatè; non opus tamen esse censemus ut de illis prolixius hæc agamus, quippe quæ nihil aliud sunt, quàm effluvia spirituosæ vi & virtute tot causarum cælestium impellentium ex Oceano aliisque locis aquosis potissimum Occidentalibus & ex parte Meridionalibus extracta: quem situm quidem ortumq; partim stellæ

Oc-





Occidentales, earumq; latitudines Meridionales, partim  
verò venti ipsi exinde spirantes quodammodò monstrarunt.

### Theſis XXXVI.

Tandem de venti hujus prodigioſi effectû & ſignifica-  
tione breviter dicendum reſtat : ubi illud valet commune,  
*Mnius rei plures poſſunt eſſe fines.* Quod de venti fine ſupra *Theſi*  
*20 & ſeqq.* in genere diximus, illud de hoc quoque ſtatu-  
endum in ſpecie eſſe arbitramur, finem nempe ſeu effectum ejus  
eſſe partim ordinariû, ut purget aërem, ne in tanta præ-  
fertim humiditate & caliditate putreſcat ; partim verò ex-  
traordinariû, ut mortalibus ſcilicet annunciet pœnam ac  
calamitatem.

### Theſis XXXVII.

Quod finem ordinariû attinet, non dubitamus, quin  
aër, qui præter morem per totam fermè hyemem maxima  
ex parte humidus fuit & calidus, dudum fuiſſet infectus &  
corruptus, niſi ventorum turbines eundem quodammodò  
purgaffent.

### Theſis XXXVIII.

Finis ſeu effectus extraordinariû in aprico eſt. Quotus-  
quiſque enim eſt, qui venti hujus vim & imperum abſque da-  
mno ſenſit ? Quanam civitas aut pagus auditur Europæ,  
quem non vehementer afflixit & proſtravit ? Perluſtrent ru-  
nemora & horti videaturq; quanto in numero radicibus e-  
reptæ jaceant arbores ? Loquantur nautæ & mercatores, quæ  
quantave fecerint naufragia & quid incredibilis inde ſenſe-  
rint damni ? Præſens omniumq; oculis obviam hic eſt effe-  
ctus; ſed ordinariû dici non poteſt, licet ex naturalibus con-  
ſtet cauſis, cum ventus per ſe & naturâ ſuâ non ad deſtructio-  
nem, ſed ad rerû conſervationem creatus ſit, juxta *Th. 21.* Non  
alia



alia enim hujus quam quæ cæterorum meteororum ratio esse solet. Sæpius extiterunt imbres & pluiarum copiarum, quas inconuetæ locorum inundationes secutæ sunt. Hoc meteorum aqueum etsi ex naturalibus ortum sit causis, consequens tamen extraordinarium fuit. Cujus generis tempestates fuerunt horrendæ illæ, quæ Anno 1631 d. 29 Maji cum maxima & incredibili ferè Inundatione metropoli Ducatus Vinariensis aliisque ad Ducatum illum spectantibus locis, imprimis verò Vinariæ superiori, Mellingæ, Magdalæ, Döbritschæ, Sundestadio, Apoldæ, Budstadio, Grünstadio superiori & inferiori, Obringæ majori & minori, nec non aliis oppidis & pagis in Thuringia plurimum cladis dederunt. Quam inundationem dicunt nunciam fuisse subsecuti incendii, quò arx oppidi hujus Metropolitanæ elegantissima magna ex parte unâ cum templo nec non variis ac maximi pretii mobilibus aliisque Principes & Principum aulas condecorare solitis κοινωλι-οις igne absumpta & in cineres conversa fuerunt. Sic Anno 1432 teste *Calvisio ex Spangenberg.* circa initium *Augusti* Inundationes fuerunt per totam ferè Germaniam, in Bohemia aliquot pagi perierunt. Albi pontes evertit Misena, Dresdæ, ut & alii Fluvii suos prostraverunt pontes. In Thuringia 40 pagi periisse dicuntur. Quas inundationes sequente annò multum tumultus bellici insecuti sunt. Conradus Moguntinus & Landgravius Ludovicus dissentientes, post vastationes plurimas præliò decernunt, & Moguntinus vincitur. Magdeburgenses cum Hallensibus Episcopi sui ditiones vastant & oppida ejus occupant. Bernhardus Dux Saxonie Brandeburgensi Electori bellum facit &c. Sic Parelis quidem causas suas habent naturales, nihilominus tamen indices sæpè eos esse occulorum Consiliorum plurimumque mutationum in imperiis rebusque aliis testis est *Peucerus de Divin.* Et refert hic Autor quod recens ante confederationem Principum Germanicorum cum Rege Gallico Anno 1551 circa tertiam à Solis ortu horam die 21 Martii conspectos fuisse Parelis, qui nitore Solem propemodum antecellissent. Quæ verò portenderint, eventus ostendit. Anno 1541 circa tertiam à merid. visa

alia



alia fuit pareliorum facies. Sol nempe in centro consistebat: hunc duo cingebant circuli lucidi: in ambitu interioris utrinque nitebat Parelius: hæc Pareliorum facies conjunctiones quidem Regum & Principum significavit, at qui motus sint secuti nemini ignotum est. Similiter Parafelene quoque in aëre visa fuit anno 1313 ante bellum civile Ludovici Bayari & Friderici Austriaci, quæ dissensionem Electorum & studia partium portenderunt, teste itidem *Pencero de Divino*

### Thesis XXXVIII.

Quemadmodum igitur hæc & similia meteora alia, ut ex causis orta naturalibus, quia tamen modum excesserunt & citra communem ac consuetum naturæ cursum suas exeruere vires, præter finem naturalem & ordinarium habuerunt adhuc alium peculiarem & extraordinarium: Itz de insolentibus Ventis quoque & inprimis illo, qui VII. & IX. Decemb. præteriti anni, cum moderatationem ac metas naturæ planè fuerit egressus, aliter judicari non potest, quàm significari exinde malum quoddam peculiare & calamitatem publicam, eamque tantò graviolem, quantò insolentior & universalior fuit ventus. Perquàm rari enim sunt & vix leguntur in historiis tales venti, qui tantum terræ tractum simul & eodem tempore perflaſſent. Et quid dubitemus de eventu tristi? Ipsa loquuntur futurumque gravius damnum quasi prædicunt ædificia incredibili numero concussa, arbores horrorem & sylvarum radicitus evulsa, naves item innumera maribus jactata. Cum enim præſens hoc malum signum sit, signatum adhuc futurum erit. Satis id testantur historia, ex quibus cum præſentis rei veritas haud parum firmetur ac stabiliatur, non abs re esse ducimus, si ex probatis & fide dignis autoribus adducantur exempla, quæ cum nostro conveniunt.

D

Thes. XL.



## Thesis XL.

Recenset Peucerus de *Divinationibus*, quod Budisina in patria sua anno 1552. die 13. Augusti sub occasum Solis subito exorta sit aquarum inundatio effluxusque, quò non tantùm pontes, horti & ædes, sed multi etiam homines miserè perierint. Octiduo circumactò, inquit, tantos ventorum turbines esse secutos, ut validissima ab imo mota convulserint ac disjecerint ædificia, & proceras arbores magnò numerò aut radicitus evulsas prostraverint aut contortas fregerint aut velut inciderint medias. Octiduo ante diem natalem Christi, cælum discedere & crebris fulgere ignibus, moxque horrendo summum templum feriri fulmine visum esse. Hinc violentissima secuta est pestis, quæ per totam hyemem sævit.

## Thesis XLI.

Anno 1625. teste *Cluvero in Epit. hist.* horrendi & inauditi quoque orti sunt venti, quibus in Dania & Holsatia non arbores tantùm innumeræ, sed & turres, ædificia sacra profanaque, molæ, aggeres mari & fluminibus objecti fœdè prostrati sunt. Finiente postea ferè Martio, Lauenburgi convenerunt Saxonie inferioris Principes, Rex Daniae ut Dux Holsatus, Administrator Magdeburgicus, Præsul Bremensis, Dux Brunsvicus, Megapolitani, Holsatus decreverunt, augendas esse copias dudum ad circuli Saxonici defensionem conscriptas, ne quid Respublica detrimenti ab insidente fines exercitu capiat. Imperator ejus militiae Rex Danus, Lüneburgi ac deinde Brunsvici constituitur, quam quomodo gesserit & quantum cladis dederit postea Holsatie cæterisque inferioris Saxonie ditionibus victus à Cæsarianis apud Lotteram, ignotum nemini esse potest.

## Thes. XLII.



## Thesis XLII.

Sic observatu dignum est quod de præfagio excidii Magdeburgensis memorant, qui interfuere. Eo scilicet tempore, quò Hammeliæ apud Visurgim Tillius cum Papenheimio & Grönsfeldio aliisque de obsidione Magdeburgensi consultabat, ingens repente ventorum vis coorta est, quæ regulas non modo tectorum omnes magna strage dejecit, sed molam etiam pulverariam incendit convulsitq; tanto fragore impetuq; ut terræ motum aliquem esse opinantes, Tillius ejusque exemplò cæteri quoque consultores in genua provoluti iram à se numinis deprecarentur. Eodem planè momentò Magdeburgi quod quinque & viginti miliaribus Hammeliâ distat, eadem tempestas grassata, culmina aliquot turrium dejecit. Quid verò tanti ventorum turbines urbi præunciaverint, ex eventu manifestum est.

## Thesis XLIII.

Nota est historia de bello Peloponnesiaco. Paulò ante hoc funestum bellum, post apparitionem ingentis cometæ, qui post occasum Solis continuos septuaginta quinque dies arsit, tanta ventorum vis coorta est, ut fragmen à monte avulsam in sublime abripuerint, quod ubi ad urbem Thraciæ Ægosporamos decidisset, è cælo præcipitatum fuisse creditum est. Non ita paulò post bellum Peloponnesiacum exarsit, quod totos viginti octo duravit annos & toti Græciæ exitiale fuit. In fine belli ad illum Thraciæ locum, Athenienses navali prælio victi à Lacedæmoniis, Lysandro duce, cum classe imperium Græciæ amiserunt. Hunc ventum enormem Anaxagoram prædixisse ajunt, qui vixit tempore Periclis, autoris belli Peloponnesiaci.

## Thesis XLIV.

Lysimacho Athenis Prætorè, ut inquit Aristoteles, Olym-



Iympiade 109, paucos dies exarsit cometa juxta circulum  
Æquinoctialem. Hunc secutus est ventus horribilis propè  
Corinthum. Constat autem ex Diodoro Siculo hunc Lysima-  
chum fuisse Athenis ἀρχὸν anno quarto Olympiadis 109,  
quo tempore aut paulò post Athenienses Demosthenis suasu  
cum Philippo Macedone congressi ad Charoneam, cæsi sunt,  
amissis duobus millibus civium, desitque cum hac clade  
universæ Græciæ & gloria dominationis & libertas vetustis-  
sima.

### Thesis XLV.

Anno 1352 post apparitionem Cometæ qui sub ipso Se-  
ptentrione, mense Septembri in cælo fulsit, vehementes fla-  
tus Ventorum subsequuti sunt, & paulò post inusitata figuræ  
flammæ in aëre exarserunt. Circa quæ tempora, ortum est  
schisma horrendum, quod duravit usque ad Concilium Con-  
stantiense, annis 39 præsidentibus, simul duobus Pontifici-  
bus, qui inter se excommunicantes, Ecclesias Europæ miserè  
turbarunt, teste Garcao de Meteorol.

### Thesis XLVI.

Sicut igitur hæc & similia insolentium ventorum exem-  
pla alia infinita satis apertè ostendunt ejusmodi ventorum  
flatus procellosos & insolitò modò tumultuantes publicam  
semper annunciaffe cladem; ita de vento proximè præteri-  
to, qui naturæ limites usitatos excessit, omnes judicare ali-  
ter nemo facile potest, quàm quod metuenda exinde etiam  
sit calamitas publica, tantòque magis, quod venti illi toties  
fuerint repetiti & in aëre præterea varii non modò fulserint  
ignes multisque in locis insolita audita sint tonitrua cum  
horrendis fulminibus; sed inundationes etiam aquarum in-  
secutæ loca quàm plurima miserè vastarint.

Thes.



## Thesis XLVII.

In specie verò determinare malum, quod ventus hic insolens prælagit, nostrum non est. Cum enim omnium quæ fiunt, quæque à naturalibus indicantur signis, reddi ratio nequeat, ubi ratio deficit, consentientis experientia testimoniis insistere ac niti satis est, quæ demonstrationis loco sunt. Illud autem certum est mali seu calamitatis publicæ varia esse genera, nempe: bella, seditiones, hostium externorum irruptiones, fames seu annonæ caritas, pestis, Principum ac Magnorum virorum interitus, imperiorum mutationes, alique casus tragici insignes publicamque salutem concernentes. Solius enim DEI opus est, determinare calamitatis genus, quò commonefiant homines, ut ad conversionem excitentur. Nec abjiciendum propterea τὸ μεταωρολογικόν, quòd qualia quævis insueta, raraque in specie afferant, non prænoscere ac perspicere exactè queamus. Etenim non eruerè ea omnia, ac peruestigare humana mens, quæ assidue obversantur oculis & certa consistunt lege, potest: Quantom minus insolitè noveque accidentium casu ù aut perscrutabitur causas aut perspiciet fines & effectiones: Nec præsciri DEUS omnia voluit. Satis est de hoc nosse Vento insolito, quòd nec irritus sit nec ἄσημ.

## Thesis XLVIII.

Satis de vento insolenti. Nunc coronidis loco quid de recenti Cometa sentiendum, adjicere animus est, id quòd antecedentem discursum haud parùm illustrabit. Cùm verò multi sint, inter quos præcipuè etiam Thomas Erastus est magni Vir ingenii & doctrinæ præstantis qui de cometis min⁹ rectè sentit, suamq; exinde hausit opinionem, quòd cometas opus naturæ esse & ex causis naturalibus fieri arbitretur: ideo ut rectiori via incedamus, sententiamque de Cometa recens exorto saniolem amplectamur, operæ pretium esse ducimus, si Cometarum naturam in genere examinemus



prius, ut de præsentî cometa iudicare in specie eò melius  
queamus. Ac veteres quidem hac de re varias foverunt sen-  
tentias. Pythagoras & qui eum secuti, ut ex Plutarcho Stobæi  
collectanea habent, partim stellas faciunt cometas, quæ non  
semper, sed certo temporis ambitu appareant: partim visus  
nostros in solem speculi more reflexos. Anaxagoras ac De-  
mocritus duarum vel plurium stellarum concursum iudi-  
cant, quemadmodum speculis aliquot inter se oppositis  
nonnunquam stella aliquid simile elucet. Aristoteles exha-  
lationem aridam h. e. calidam & siccam, supra regionem, in  
qua pluvîæ nascuntur, elatam & à motu supremi æris atque  
ignis accensam autumat. Strato dicebat stellæ lumen den-  
sa nubè circumdatum ut quasi in lucernis appareat. Heracli-  
tus Ponticus nubem sublimem sublimi lumine illustratam ac  
similem reddit causam barbararum trabium, columnarum  
& similibus. Epigenes credebatur spiritum terreum incensum  
ac sublatum. Boethius æris incensi visum. Chaldæi sentiunt  
alias quoque stellas esse, præter planetas, quæ aliquandiu  
quidem lateant, quoniam longè à nobis sint remotæ, non-  
nunquam autem inferius delatæ appareant, ita re exigente.  
Eos verò cometas ab iis vocari, qui nesciunt ipsos quoque  
stellas esse, evanescere autem videri, cum in suam regionem,  
ætheris nempe profundum, sicut pisces in maris fundum re-  
ferantur. Alii terrea quædam, vento vel turbine in ærem  
ferri, existimarunt, ibique incensa & in ætheris vertiginem  
illapsa, cum universo ad tempus aliquod circumferri, donec  
igne consumto evanescant. Metrodorus dici scintillas  
violenta solis impressione arbitratur. Sed Xenophanes omne  
id genus compactum aliquid aut motum esse nubium igni-  
tarum. Non commemoro omnia, perat, qui plura desiderat,  
ex Aristotele, qui aliorum sustulit sententias, vel ex Seneca,  
qui & ipsius Aristotelis & aliorum refutavit opiniones, item-  
que ex Laërtio multisque aliis.

The-





## Theſis XLIX.

Ubi fanè mirum non eſſet, ſi in tanta obſcuritate & tam multiplice opinionum varietate res ipſa lateat ignota: tantòque minùs miror quando & noſter, qui modò in cælo luxit Cometa, tum à nobis, tum ab aliis quoque, primùm non pro vero cometa, ſed pro meteoro ſeu communi *Φαινόμενον*, quod in aère hæreat, habitus creditusque fuit. At verò ſi tanta ſe præbet obſcuritas circa cometarum originem & eſſentiam, quid de eorundem ſignificatione fiet? Sanè non deſunt qui dubitant non modò cometas quidquam afferre mali, quin bonam potius fortunam indigitare aſſerunt. In qua opinione Thomas Eraſtus fuit, qui duos annos 1556 & 1558 quibus cometæ fulſerunt, maximè ſalubres fuiſſe commemorat in peculiari quodam de cometis ſcripto. Hunc ſecutus eſt Andreas Duditiuſ trium Imperatorum Ferdinandi I. Maximiliani II. & Rudolphi II. Conſiliarius & Orator primarius, ſed vir in omni rerum ſcientia verſatiſſimus. Hic in Epistoſa quadam ad Johannem Cratonem ſcripta, omnem cometis vim & ſignificationem mali proſus denegat, idque probare exinde ſatagit, quod tum ante aſta ſæcula, jam inde ab orbe condito, tum patrum noſtrorum & noſtra ætas funeſtas clades viderit multas, latentibus tamen nec unquam in conſpectum venientibus cometis. Et allegat ibi Julii Cæſaris Scaligeri teſtimonium, inquitentis: *exiſtimare à cometa regem interfici ridicula demencia eſt: tanto magis everti provinciam.* Multi ſunt à nobis cometæ viſi, quos nulla unquam tota in Europa ſubſecuta eſt mortalium pernicies. Et multi clariffimi viri ſuo functi ſunt fato: Multi everſi principatus, peſſundatæ familia illuſtriſſimæ ſine ullo cometæ indicio: Sic memorabilem illam à Thucydide deſcriptam peſtilentiam, tum ab Hippocrate aliam, itemq; à Galeno aliisq; alias multas in variis locis crudeliter in omniæ animantium genus graſſantes peſtes, à nullo præcurſore cometa prænunciatas fuiſſe, firmiter conatur probare. Multas item eaſq; populoliſſimas provinci-



as & olim sæpe, inquit, & nostro tempore sæva pestilentia  
lues, nullo ardente cometa, exhausta atque depopulata est.  
Reges deinde, principes, summi viri multi, sic reliquum  
genus omne, ut antea semper, ita nostro tempore & in po-  
sterum quoque dum pulcherrima hæc mundi machina sta-  
bit, sive aliquis flagret cometa sive nullus appareat, perpetua  
tamen fatalisq; naturæ lege in dies inq; horas nascuntur &  
interibunt. Neque hic præpotentium Regum, quàm de  
plebe cuiusvis aut melior aut deterior esse conditio potest,

*Pallida mors æquo pulsat pede pauperum tabernas*

*Regumq; turres.*

*Stat sua cuique dies.*

& ea lege omnes nati sumus ut cum vitæ finis adest, naturæ  
vel invitæ vel volentes concedere necesse habeamus.

### Thesis L:

Sed exempla etiam adducit dictus autor ex Bello Gal-  
lico luctuoso valdè & miserabili, itemquè ex Belgico non  
minus cruento, quæ aliquot annos nobilissimas illas opu-  
lentissimasque nationes afflixisse dicit absque ulla cometæ  
apparitione. Sed pergit, Hungariam quoque à Turcis jam  
pridem miserandum in modum vastatam ac propè deletam  
esse, additamque in extremum discrimen, repetitas toties  
in Sarmatiam Scytharum excursiones, depopulationes, va-  
staciones, cædes ab eis illatas & multa foeda nefandaque a-  
trociter ab eis patrata, plurimorum oppidorum, pagorum  
villarumque exustiones, abactam à feris istis non jam homi-  
nibus, sed belluis, equorum & aliarum pecudum incredibi-  
lem multitudinem; puerorum verò & puellarum atque om-  
nis ætatis & ordinis miserabilium hominum ad aliquot  
centum millia in horribilem foedamq; Turcarum servitu-  
tem fuisse abductam, ubi nullus unquam antecessisset Co-  
meta, quæ tamen tanta mala, tamquè memorabiles calami-  
tates fuisse existimat, quæ novo aliquo Cometâ præmonen-  
te eas dignæ fuissent. Hæc & alia multa luctuosa & memora-  
bilia



bilis exempla commemorat, ubi cum nihil in cœlo horum affulserit *Φαινόμενων*, firmiter concludere conatur, Cometas mortalibus nihil annunciare mali, præsertim quod & observatum esse putat, annos in quibus Cometæ arserunt, maximè fuisse felices & salubres.

## Thesis LI.

Verum enim verò multa hæc & magna contra sententiam communem totq; experientis munitam à tanto viro adducta videntur, adeoq; digna, quæ examinentur fusiùs & accuratiùs. Ubi quidem nihil repetendum ducimus, sententiarum, quas veteres fovère Philosophi. Cometarum enim naturam si exponamus ab origine, sententiæ illæ facile sua sponte ruunt, & quid de Cometis tum in genere, tum de præsentis sentiendum in specie sit, satis inde patescit. Quod igitur ad cometarum originem spectat, tenendum ante omnia est, non quodlibet *Φαινόμενον* novum & insolitum è sublimi fulgens, cometam statim dicendum, aliàs tot essent Cometarum species, quod meteora, longeq; plures quàm *Plinius l. 2. c. 25. hist. nat.* enumerat : Sed præcipuè requiritur, ut sedem situmq; supra lunæ habeat spheram ac præter communem illum, quò ab ortu in occasum cum cæteris cietur stellis, peculiari adhuc constet motu, quem vulgò proprium vocant. Qua ratione nec facem excidium Hierosolymæ antegressam, nec stellam quæ Magos ex Persiâ ad Salvatoris cunabula adduxit, nec alia quæcunque in una vel altera tantum regione terræ è sublimi fulgentia lumina in Cometarum numero habemus, cum illa omnia qualia & quantacunque sint, ex æthere excludenda esse constet. Quæstio igitur de novo ejusmodi *Φαινόμενον* est, quod in cœlo inter reliqua sidera emicat.

## Thesis LII.

Ubi quidam contendunt tale *Φαινόμενον* mundo esse cœlym & in summitate cœli semper quidem existere, sicut

E

immu-



innumeras adhuc stellas obscuras in via lactea potissimum, aliisq; cœli locis latere nemo negaverit; sed propter nimiam distantiam minus videri, nisi descendat magis & in hominum veniat conspectum: quod tùm maximè fieri volunt, quando una ex illis supremis veluti nova seu cometa, re ita exigente, apparet. At verò num per naturam tale quid fieri possit, est de quo maximè dubitamus, cùm corpus ex alto ad loca inferiora delatum, motum necessariò requirat rectum seu perpendicularem, qui stellarum naturæ penitus repugnat; nisi id dicere velimus, quod ejusmodi stella juxta ductum lineæ spiralis paulatim descendat: quod tamen fieri posse nobis exinde non videtur, cùm hac ratione cometa quando primùm videretur, non pleno statim lumine, sed pedetentim apparet, quod experientiæ reclamat. Et si enim paulatim evanescere solent Cometa, non eodem tamen modo apparere incipiunt, cùm in apparitionis initio maximam sui faciem ostendere terris ut plurimùm consueverint: Ad quod efficiendum, motu eosdem magis cieri rectò, necessum esset. Verùm, si vel hoc largiri maximè vellemus, aliud tamen statuere hîc Cometarum lux suadet. Cùm enim hæc à reliquarum stellarum luce alia longè ac diversa appareat, concludi inde aliter non potest, quàm quod aliam etiam ac diversam à cæteris stellis usitatis naturam habeat, ut quæ in iis se maximè per lucem exerit. Quamvis enim & cætera stellæ æquè ac Cometa Solis gaudeant radiis, earum tamen nulla ex radiorum solarium transparentia, sicut cometa, lucet; aliàs reliquæ stellæ omnes, præsertim verò illæ quæ cum Cometa in eadem essent regione, caudas terris crinesque ostenderent, quod tamen in nulla visum unquam observatumque fuit. Sic diversum etiam à cæteris stellis omnibus colorem præbent cometa, quemadmodum nemo facile, etiam si rudis & Astronomiæ ignarus, qui cœlum aspexerit modò, cometam, quoties inter reliqua sidera fulget aliquis, primò statim intuitu tùm ratione figuræ, tùm ratione lucis & coloris non agnoscit: quod haud fore arbitramur, si

Ad. in l. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 66. 67. 68. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 81. 82. 83. 84. 85. 86. 87. 88. 89. 90. 91. 92. 93. 94. 95. 96. 97. 98. 99. 100.

200

Col. Div. 11

Co-



Cometa ex cæterarum stellarum grege esset. Hoc est quod vulgò Planetarum simius appellatur.

### Thesis LIII.

Et hæc inter præcipuas, quæ de Cometarum ortu aliquam merentur fidem, sententia prima est. Altera in eo consistit, quod cometæ ex causis fiant naturalibus; non quidem generatione illa communi, quâ aliàs corpora ex elementis fiunt; quam sententiam Aristoteles sectatur, sed singulari planè ac cœlesti, quæ cum priore commercii nihil, aut parum habeat, ex materia scilicet ætherea, h. e. ex primæ illa luce quam rerum Conditor primò creationis die condidit, cujus non exigua copia in æthere, imprimis verò in via lacteæ tractu relicta resideat. Verùm quod Aristotelis concernit sententiam, cum explosa illa & rejecta dudum sit nec ulteriori refutatione digna videatur, eandem non moramur, nec quicquam nos in refutandâ ea prolixius, occupatos esse decet. Sive enim cometarum respiciamus quantitatem, sive figuræ identitatem, sive luminis puritatem, sive motus cum Planetarum progressionibus conformitatem, aut durationis diuturnitatem luminisque decrementum, nihil invenitur prorsus, quod cum *Φαινόμενα* meteorico æquari ulla ratione possit.

### Thesis LIV.

In eorum autem sententiam, qui cometas ex luce primæ in cœlo adhuc existente fieri statuunt, ire nobis perquam difficile videtur. Si enim cometæ veluti corpora lucidissima moleque maxima ex lucis primæ reliquiis conglobarentur, concedendum necessario esset aut vacuum, ibi scilicet, ubi materia lucida ablata, aut cœli partium reliquarum tum rarefactio, tum condensatio. Illa quidem ex successione reliquæ partis cœlestis lucidæ in locum vacui, quam propterea rariorem fieri oporteret. Hæc verò ex arctiori coagulatione lucis primæ ad conficiendam novam stel-



iam. Sed cum neutrum in saniorum Philosophorum schola mereatur fidem, quia cœli tanquam corporis simplicissimi partes, nec per rarefactionem dilatari, nec per coagulationem condensari magis queant; Inprimis verò quod nec sensibus nec elaboratissimis organis ex ejusmodi conglobatione in reliqua cœli seu viæ lacteæ regione minor lucis copia animadversa unquam fuit. Quare ex luce primæva, cujus non exigua pars ad tantæ molis corpus complendum requiretur, cometas fieri firmiter nemo probabit. Et si verò Nobilissimus *Tycho Brahe* in observatione stellæ anno 1572 hiatus in Galaxiæ margine ad quantitatem semiplenæ lunæ animadvertisse dicitur, quem se antè vidisse nunquam asserit: valdè tamen dubium est, num olim ipse, antequam stella illa apparuit, omnes singulasque Galaxiæ partes tam accuratè ac distinctè perlustraverit, hiatusque tam exactam rationem ac curam habuerit.

### Thesis LV.

Sed positis his omnibus, quæ tamen concessa nunquam, ad generationem stellæ causa non tantum materialis, quam lucem primævam esse putant, sed necessario etiam efficiens requiritur. Ex sola enim matetia generari stellam, nullo concurrente principio externo, quod efficientis munere fungatur, qualiscunque etiam fingatur generatio, per naturam impossibile non modò, sed absurdum prorsus est. Verum non desunt hic qui Eclipsibus inprimis, & planetarum maleficorum Saturni & Martis conjunctionibus aspectibusque infaustis, præcipuè verò quando simul stationarii sunt, causam hanc attribuunt; tantoque magis si vel omnes simul, vel eorundem unus tantum in signis fuerit igneis aut propè baculum Jacobi seu stellas fixas alias, quæ de natura participant Martis aut Solis. At verò pro causatione illa tot requirunt conditiones, quæ vel rarissimè, vel nunquam concurrunt, multique apparuerunt cometæ, ubi hujus generis configurationes non fuerunt observatæ. Et mirum est, quod planetis



netis tantam efficiendi vim tribuant, ut novam stellam producere apti evadant : quare non ipsis potiùs planetis effectum cometæ tribuunt; & sic natura breviori via procederet, nec nova sidera producere opus haberet, cum aliàs planetæ naturâ suâ in mundum inferiorem agere nati, novas autem producere species inepti penitus sint?

### Thesis LVI.

Verùm cum neque illam in cœlo generationem locum moveri videant, nonnulli aliâ incedunt viâ, statuuntque cometas in octavo cœli tractu circulariter moveri, ut veluti in Epicyclo modò fursùm, modò deorsùm ambulantes, in conspectum tandem veniant. Sed cum cometæ certum semper magni circuli tractum conficiant, quòd inficias ire nemo poterit: ideò circulus ille, qui ponitur Epicyclus quovis Concentricò major evadat, tractusque ille octavi orbis infinitæ prorsusque improporionatæ magnitudinis emergat necessum est, id quod absurdum. Et quamvis cometæ jam interituri paulatim decrescant, ad eum scilicet modum, quasi sensim ad Epicyclum ascendant conspectuique nostro se subducant; idem tamen in apparitionis primordio non accidit, id quod tamen ex circuli natura fieri oportet. Sic neque in reliquis Epicycli partibus ulla motûs servatur proportio: ut de periodis, quas Epicyclorum ratione statis temporibus absolvere deberent cometæ, jam nihil addamus.

### Thesis LVII.

Cum itaque neque generatione Elementari, neque peculiari quadam occulta ac cœlesti neque alio quocunque modo naturali fieri aut in via lactea præexistere cometas possibile sit, quicquid fingant alii : Ideò recurrendum necessariò ad aliam causam videtur, quæ extra naturæ limites posita sit, eosque planè superet. Licet enim Philosophi aliàs non sit, temerè ad causam recurrere supernaturalem, ea ta-



Va. n. 10

men est cometæ conditio, ut nisi naturæ vim imponere velimus, causam haud aliam statuendam esse ducimus. Sive enim cometæ consideremus materiam, sive formam, efficientem vel finem, singulariter ac penè miraculosè se habent omnia, sicuti partim ex dictis patet, partim verò ex sequentibus constabit.

### Thesis LVIII.

Quare id unicè innuimus, cometas per absolutam DEI potentiam creari ac eo potissimùm tempore mortalium oculis objici, quando ipse ceu benignissimus Pater hominibus singularem pœnam & castigationem paternam committatur.

### Thesis LIX.

Ex quibus de nostro qui modo fulsit cometa, quid jam sentiendum, & unde ortus fuerit, judicare haud erit difficile. Verum autem istum fuisse cometam nemo amplius ibi inficias, eam potissimùm ob causam, quòd non in aère, sed in cœlo inter reliqua fulserit sidera, aliàs in tot locis iisque tam longè disitis æquè videri haud potuisset. Quocirca ut de ipsius origine prolixius hîc agamus cum omnia ex dictis consentent, supervacaneum penitus arbitramur.

### Thesis LX.

Significat

Quid jam porrò de cometarum significatione sentiendum sit, dicamus paucis. Ubi mirandum meritò, quòd cum talia cœli *Cavida* omnibus ut plurimùm terræ locis fulgeant quidem, at non omnibus æquè afferant malum, doctissimi inveniuntur viri, qui concludere inde satagunt, cometas non tantùm non perniciosos, sed quandoque etiam valdè salubres esse: sicut antea dictus Thomas Erastus precipuè in ea fuit opinione, quem Andreas Dudithius in epistola ad Joh. Cratonem hac de re scripta egregiè sequitur. Verum



rùm cùm uterque horum ex Aristotelicorum mente cometas, tantùm ut incendia, naturali quodam ordine & non alia ratione quàm multa alia, ut Duditii verbis utar, admirabilium ignium formæ, hiatus, fossæ, candelæ, titiones, trabes, dracones volantes, ignes perpendiculares, columnæ, gladii, lanceæ, lampades, jacula, clypei, turres, naves, cruces & gemini illi ignes, qui Castoris & Pollucis nomen obtinuerunt, tùm ardentres acies & ignita arma supra nos hinc inde moveri censeant, nullumque aut exiguum inter ejusmodi incendia & *Φαυόλυπα* alia vulgaria sive in aëre sive in cælo apparentia discrimen observent, mirum non est, quod de Cometis tam leviter senserint. Imò cum ipsis etiam meteoris vulgaribus comparare non erubescit Duditius inquiring: *Conspiciuntur fulgura quotannis cum terribili sonitu ac fragore, quæ certè non minorem quam Cometa admirationem & metum incutiunt. Quæ enim nox caelestium ignium spectaculis vacat? sed consuetudo cum admiratione ipsa pavorem quoque minuit, aut prorsus jam ademit. Quæ tamen omnia, non minùs à naturalibus & necessariis causis produci solent, quàm Solis & reliquorum siderum.* Ecquis non intelligit, quod perperam commisceat, quæ aliàs toto, ut ajunt, cælo differunt, dum inter *Φαυόλυπα* usitata & inusitata seu inter ea quæ quotidie & quæ raro fiunt, parùm admodùm aut planè nihil distinguit.

## Thesis LXI.

Sed ridiculum in primis videtur, quod Erastus significationem mali propterea denegat, quia bini anni nempe 1656 & 1658. quibus apparuerunt cometa, salubres fuissent ac prosperi. quasi verò duo illi cometa in infima aëris regione hæssissent, & in tantillo terræ tractu, eo scilicet, quem Erastus incoluit, tantùm videri ejusq; solius territorio fortunam aut miseriam prænunciare debuissent. In summitate cæli tales existunt stellæ &, si non perpetuò supra Horizontem cir-

ca



ca polos moventur, sed oriuntur & occidunt; sicut noster proximus Cometa, à potissimis terræ partibus ac regionibus quantum quidem per Solis lumen licet, videri possunt. Ubi sanè dubium meritò oritur, cuiam regioni præcipuè afferat malum. Nunquid igitur Erastus hic præstitit? Annorum né illorum felicitatem cum omnibus terræ regionibus computavit? Falsum est, eo tempore planè nullum mortalibus accidisse casum tragicum. Etsi enim Carolus V, uti referunt, Cometam Anno 1556, frustra metuit, cum diutius supervixerit: *Keplerus tamen in Cometarum Physiologia pag. 113.* huic Cometæ turbas inter Reges, Hispaniæ & Galliæ, inque Livonia per Teutonicos & p. 129. disfidia occulta inter Carolum & Ferdinandum fratrem adscribit. Sic pro manifesto etiam ab omnibus habetur, alterum, qui Anno 1558. in Augusto apparuit, cometam, Caroli V. obitū, qui fuit 21 Septemb. eodem anno, prænuñciasse, *Fromond. l. 3. Meteor. c. 3.* Hic igitur fuit ille, à quo sibi antè timuit Carolus. Unde de eo manavit illud Pentam: ab ipso factum:

*His ergò indiciis me mea fata vocant?*

Propterea referunt etiam cometam hunc caudam habuisse in Hispaniam conversam. Nihil igitur est quò Erastus hic ninitur fundamentò.

## Thesis LXII.

Quod verò exempla attinet, quæ ex Duditii epistola adducuntur, quæ que iis præcipuè temporibus accidere, ubi cometæ in cælo nulli sunt animadversi, quibus tamen à Turcis & Scythis toti Christianorum orbi tanta contingere mala, quæ digna maximè fuissent, ut vel ad cavenda ea vel deprecanda novus aliquis miserabili Christianorum gregi cometa appareret. Sed quotusquisque est ab ejusmodi rerum cognitione tam alienus, qui scripserit vel dixerit unquam, omnes aut tantum memorabiliores quæ in universo sunt mundo calamitates casusque luctuosos semper prænuñciari à Cometis? Solius DEI opus esse diximus, qui non uno semper

M



eodemque modo nobiscum agit, sed in annunciandis præ-  
sertim pœnis, pro paterna voluntate ac imperscrutabili ju-  
dicio suo mille modis variat. Hinc Duditii epistola adversus  
eos, qui non nihil tribuunt cometis, scripta, tanti nobis ha-  
benda non videtur, ut in contrarium probare quicquam va-  
leat. Percurrere facillè argumenta possemus omnia, si institu-  
ti nostri ratio permitteret, quæ in univèrsum eò vergunt,  
quod plures in natura dentur admirandæ faces, quibus ta-  
men, sicut cometis, tale quid non tribuatur, nec  
tribui possit; adeoque nec illis etiam tribuendum quicquam  
concludit. Longa deinde serie memorabilium calamitatum  
exempla recenset, quas nulli tamen in cœlo cometæ præmon-  
strassent. Verùm cū ad refellēda illa omnia, eadē ubique re-  
sponsa valeant, quæ jam modò data sunt, operæ pretium non  
erit iis prolixius inharere.

### Thesis LXIII.

Dum verò ita sentimus tantumque cometis tribuimus,  
non in ea sumus opinione, quasi ad clades omnes, quæ come-  
tarum apparitionem sequi solent, ipsi veluti causæ naturales  
ad producendum talem effectum proprium sufficientes sint,  
nisi statuere velimus, effectum suam superare causam. Come-  
tam sanè qui anno 1618 apparuit bellum nostrum Europæum  
prænuñciasse nemo inficias ibit. Quis verò bellum illud  
quod per tot tantasque regiones tot flagravit annos ab uni-  
co cometa effectum continuatumque esse dixerit? Certè effe-  
ctus ille tantus fuit, qui neque cum cæterarum stellarum o-  
perationibus, neque cum cometa ipso, si pro causâ ponitur  
propria, proportionem habere ullam potest. Hinc sicut  
inter causam & effectum proportio esse semper debet, ne ef-  
fectus causâ major extet ejusque vires excedat: Ita come-  
tam ejus, quod significat, non causam sed tantum signum esse  
arbitramur.



## Thesis LXIV.

Quæ omnia si ad nostrum applicemus Cometam, colligere ex iis, quæ dicta sunt quisque habet, non temerè illum & fortuitò, nec communi naturæ cursu, sed singulari DEI consilio in cælo ostensum nobis exhibitum quæ esse, eum potissimum in finem, non ut terrarum incolis bona tempora & fortunam afferat, quin diros potiùs ac luctuosos publicarum rerum casus prænunciet.

## Thesis LV.

Ad omnes autem Terræ regiones publicum illud spectare malum nemo facile dixerit. Hinc tantò majoris difficultatis est determinare, cuiam præcipuè regioni metuentum sit. Quod quidem mirum nemini esse debet, cum Omnipotentis opus sit, talia quæ *Φαινόμενα* rarò appareant. Noluit autem benignissimus Deus omnem nobis conjiciendi præcavendique rationem interclusam esse, quin ad nostrum potius se accommodans captum, cometas in iis ut plurimum reponit sideribus, eo quæ cursu ac situ collocat, ut colligere quid inde habeamus, si non apodicticè & infallibiliter, non citra omnem tamen rationem & discursum.

## Thesis LXVI,

Esti igitur à nobis ipsis propter aërem hujus loci, eopotissimum tempore, quo cometa alibi apparuit, semper nubilum & obscurum, visus non fuit: quia tamen ex aliorum observationibus aliunde nobis communicatis animadvertimus, cometam non longè ab Æquatore prope anteriorem partem Aquilæ tetisse, suam quæ radiationem maximam seu caudam ad Septentrionem paulò convertisse: idè de significatione ejus conjiciendi occasio exinde nobis suppeditatur.

The.



## Thesis LXVII.

Estque nostrò quidem iudiciò illud in dijudicandis cometis præcipuum, ut respiciatur 1. quæ sidera percurrat Cometa & quò cursum dirigat 2. quibus Terræ locis directior sit & verticalior. 3. quibus diutiùs appareat seu super quorum Horizonte pluribus horis luceat. 4. cuinam regioni radiationem suam maximam seu caudam potissimùm obvertat seque horribiliorem ostendat.

*Observanda  
in iudicio*

## Thesis LXVIII.

Quibus præsuppositis, cum Cometa noster nulli sidere prior visus fuerit quàm Aquilæ, idè potissimum etiam iudicium ab hoc sidere sumendum esse non dubitamus. Est autem sidus hoc non tantùm de natura Martis & Jovis, sed signaturâ etiam suâ potentissimos invictissimosque indicat. Quod naturam ejus attinet, notum est, Martem significare Astrologis Turcas & Tartaros, Jovem verò Christianos. Si quis igitur ex his indicis, de futuro bello Turcico adversus Christianos coniceret, ei nos adeò non effemus contrarii, præsertim quod stella hæc nova ab Oriente, partim & à Meridie respectu nostri visa fuerit, quasi futurum malum ad Occidentales & Septentrionales ex illa mundi plaga venturum sit: Id quod etiam cauda ejus quodammodo ostendit, quippe quæ similiter à Meridie versus Septentrionem paulò directâ fuit. Quia verò haud longè ab Equatore declinavit Cometa eidemque proximus fuit, colligere inde quisque facile potest, non multò superiorem nobisque verticaliorem factum esse, quàm hodiè Sol est, prope Equinodium constitutus, ubi Equatorem attingit & altitudinem maximam seu Meridianam 37. grad. nobiscum assequitur, ita ut Cometæ usque ad verticem nostrum propè desint adhuc 50 gradus. Hinc si quis motum Cometæ primam, quem interdum supra Horizontem nostrum absolvit, sibi imaginari velit, ille non errabit, si Solis hoc tem-

*2 Turc. Sar  
4 Christian.*

*Cauda i. n. r.  
di. n. p. l. g.  
t. n. e. l.*



pore cursum aspexerit diurnum, quippe qui à cometæ cursu seu motu primo haud ab similibus esse potest: Ubi si Sol ad Meridiem venerit, summam fermè cometæ altitudinem ostendit. Illud autem argumentum nobis omnium maximum est, quod cometa tam manè ortus sit & per pauco tempore super nostro Horizonte luxerit, nobisque obliquissimus ac minus directus extiterit.

### Theſis LXIX.

Ex quibus non citra rationem quis concludere poſſet, quicquid ex ſidere hoc novo ſignificetur mali, ad nos illud directè non ſpectare. In quo quidem iudicio & nos acquieſcere facile poſſemus, niſi præeuntes venti inſoliti, aliaquæ prodigia plura nobis ulteriorem terrorem metumq; injiciant. Illud tamen ſilentio præterire non poſſumus, quod ſi Cometa malum attulerit Turcicum, magis illud in Turcarum tandem, quàm in noſtram vergere perniciem probabile ſit. Id quod autem dum conſpicimus, non negamus & alias inſequi poſſe pœnas ac calamitates, præſertim quod non unum, ſed diverſa præverint ſigna, quæ pœnarum multitudinem haud obſcurè confirmant. At verò Peuceſus *de divinat.* aliiq; hoc in genere verſatiſſimi viri ſuadent maximè que conſultum eſſe ducunt, ut iudicium de Cometis eorumquæ ſignificatione per exempla confirmetur ac corroboretur ſimilia. Hinc non malè nos facturos eſſe ſperamus, ſi majoris evidentiaè cauſâ ſequentia exempla ſubnectimus.

### Theſis LXX.

Sic Cometes fulſit in figura cornu, eo tempore quo Xerxes decies centum millibus hominum Græciam intravit & multis urbibus direptis ac incenſis, tandem Duce Themistocle, navali pugná ſuperatus fugiens vix evaſit. Hic igitur cladem, quam ad Salaminem accepit ac turpem fugam & inter-



interneccionem reliquo exercitui, quem Mardonio commendarat, portendit, ut refert *Plin. l. 2. c. 25.*

## Theſis LXXI.

Ariſtæo Athenis Prætoro anno 4. Olymp. 21. hyeme, cœlo ſerenò & frigore inteniſſimò veſperi ab Occaſu Solis conſpectus eſt cometa, cujus tertiam partem cœli, quod ſupra terram apparet, occupavit. Hyemis illius reliqua pars admodum fuit ſicca & abundans flatibus Septentionalibus, poſtea cum contrarii venti ſimul ſpirarent, Aquilo in ſinu Corinthiaco fluctus concitavit, extra ſinum verò Auſter obluſtans, cum fluctus intra ſinum cogeret, poſt aliquot terræ motus, quibus Achajæ urbes, teſte Pauſania, Helice & Bura corruerunt. Accidit etiam diluvium, quod magnam Achajæ vaſtitatem attulit. Anno ſecundo poſt, Lacedæmonii à Thebanis ad Leuctra Boëtia victi, fractique unò præliò nunquam amplius priſtinam potentiam recuperarunt. Hujus cometæ mentionem facit *Ariſtot. l. 1. meteor. c. 6.*

## Theſis LXXII.

Anno 1539 1. die Maji in Tauro apparuit cometa, quem ſecuta eſt æſtas ſicciſſima & calidiſſima adeò, ut alta flumina tuta tranſeuntibus vada præbuerint, mediocria verò exaruerint proriſus. Sylvæ à radiis Solaribus accenſæ conflagraverunt. Pragæ arx regia cum æde primaria igne concidit. Multis in locis Germaniæ præſertim in Saxonia, crebra fuerunt incendia. Eventus alios qui ſecuti ſunt accuratè deſcripſit Sleidanus.

## Theſis LXXIII.

Anno 1531 à 6 die Auguſti uſque ad 3 Septembris illuxit Cometa, qui maximos motus & plurima mala indicavit. Apud Helvetios enim religionis cauſâ bellum inteſtinum ortum



tum fuit. Paulò pòst Christiernus Rex Daniæ jam decem annos exul, cùm amissa recuperare coneretur, captus mari, custodia traditus ipsiusque patruus Fridericus Holfatiæ Dux regno potitus est. Moritur etiam Johannes Dux Saxonie Elector pius ac laudatissimus Princeps,

### Thesis LXXIV.

*Anno 1527* Cometa ingens horribili jubâ apparuit, post quem cognita est ingens Turcarum immanitas in Hungaria multa que cæde hinc inde grassata. Fame in Insubria & Venetia multi enecati sunt. Non multum pòst Turci Vienne Austria acerrimè oppugnarunt. Fames Noribergæ maxima fuit. Sudor Anglicus exortus est, genus morbi antea inauditum. Tyberis Romæ non sine magno detrimento exundavit. Oceanus magnam partem Hollandiæ, Selandiæ & Flandriæ absorpsit.

### Thesis LXXV.

*Anno 1506* Cometa fulsit mense Augusto in Septentrione prope plastrum trahens splendidam & densam caudam: inde secuta est mors Philippi Regis Hispaniarum. Eodem anno Turcæ magna cum suorum strage conflixerunt cum Persis. Anno sequente exarsit bellum Venetum, quod secuta est mors Maximiliani Imperatoris Clementissimi & Felicissimi. Capta deinde est à Turcis Alba Græca & patefactus ipsi aditus in Hungariam. Pests irem totam Germaniam pervasit. Rex Galliæ captivus à Cæsarianis in Hispaniam abductus est. Tumultus Rusticus extitit in Germania. Ludovicus Rex Hungariæ à Turcis oppressus interiit.

### Thesis LXXVI.

*Anno 1500* Cometa mense Aprili in Septentrione sub signo Capricorni apparuit. Huic stellæ crinita mox successit



vastatio in Polonia à Tartaris. Anno secundo pòst Pestis horribiliter faviit pœna per totum orbem &c. & sequentibus annis multi illustres Viri mortui sunt, qui ad gubernationem Reipublicæ vocati erant, ut Archi-Episcopus Trevirorum, Georgius Dux Baviaræ cognomento Dives, Rupertus Rheni Palatinus, Archi-Episcopus Moguntinus.

### Thesis LXXVII.

Quanta calamitates, quanta clades, cades ac bella ex apparitione Cometæ, qui hoc ipsò seculò, anno nempe 1618 illuxit mundo, ad totum Christianorum redundaverit orbem, Germania non modò sed Europa propè integra maximo cum damno experta est, adeò, ut verba nobis desint, quibus fati hujus atrocitas, non dicam explicando sed narrando saltem exprimi queat. Nec esse quempiam credimus, qui neget, vel ignoret, illud Europæ malum, quod ultra 30 duravit annos, à cometa isto, veluti præcurfore certissimo fuisse prænunciatum.

### Thesis LXXVIII.

Quid denique de ultimo illo dicam Cometa, qui anno præterito 1652, circa finem usque in sequentem horrendâ in cœlo facie exarsit? Certè præfagium ejus Sarmatæ non modò Europæi & Dani, senserunt hætenus & etiamnum vehementer sentiunt, sed significatio ejus adimpleta nondum, nec paucis forsân implebitur annis. Cum enim Cometa ille à Leporis Sidere, loco maximè Australi, per Equatorem Eclipticamque progressus, Persei Clypeum attigerit, ac directo cursu ad Cassiopæam tenderit, illud scilicet sidus, in quo maxima olim Stella nova à Tycho anno 1572 observata, sita fuit, ut cum qua occultum habere consensum videbatur: ideò clarissimi acutissimique Mathematici haud obscure conjiciunt, si Directio ejus in circulo suo magno ad  
locum



*Id. e. 1672  
Id.*

locum illius novæ instituitur, cum præcisè in annum ab a-  
paritione centesimum incidat, nempe futurum 1672, eo ma-  
ximè tempore singulare aliquid & magni momenti esse e-  
venturum. Intra quod tempus multas in cælo conjicimus  
faces inusitatas aliaque prodigra plurima, quò & ea, quæ hoc  
præsertim tempore visa, haud incommodè referuntur.

Nos interim ad divinum confugimus numen,  
idque veneramur supplices, ut bella, pestes, omnisque gene-  
ris calamitates & clades ab aris & focis patriæ nostræ charis-  
simæ clementer propellere: Pacem contrâ, Sanitatem &  
quæ à bonitate ejus infinitâ, promanare possunt com-  
moda, largiri nobis benignè velit.

# Tantum!

ILLI SOLI, CVIVS nVtVI VentI, CoMetæ,  
æCæqVora parent, saLVs, LaVs, VIRTVs  
& gLoria InfInIta.





05 A 2347

ULB Halle

3

003 784 088



V077









Inches

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

13

14

15

16

17

18

19

20

21

22

23

24

25

26

27

28

29

30

31

32

33

34

35

Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

113

DISPUTATIO PHYSICO-MATHEMATICA

De

VENTIS INSOLENTIBUS

& inprimis eo, qui circa proximè præteritum IX. Decemb. totam fermè EUROPAM perflasse creditur.

CUM APPENDICE

DE RECENTI COMETA.

Quam

SUB PRÆSIDIO

VIRI

AMPLISSIMI Atq; EXCELLENTISSIMI

DN. CHRISTOPHORI NOTTNAGE-

LII, Superior, Mathemat. Prof Publ. longè celeberrimi.

Patroni, Præceptoris ac Hospitis sui filiali

honoris atq; amoris cultu jugiter prosequendi


Publico Physices Matheseosq; Cultorum examini subjicit

BERNHARDUS MITTENDORFFIUS

LÜBECENSIS.

Ad diem 20. Februar. horis matutinis.

IN AUDITORIO MAJORI.



WITTEBERGÆ, Ex Ergasterio HENCKELIANO

A. E. R. c15 15c LXI.

113